



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egrae, 1689

Problema VIII. Cur ex septem Panibus superfuerint septem Sport , ex quinque verò Panibus Cophini duodecim? Dominica V. Post Pentecosten.
Sustulerunt quod super a verat at de fragmentis, septem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)

PROBLEMA VIII.

mortis, *judicio*; *reus erit* in novissima die *Concilio*, *reus erit* per omnem æternitatem *gehennæ*.

S. 9.
Emblema.

Pro Emblemate sit geniolus Furoris ater & audax, qui in diversos suppositos fomites, alterum delicatum & siccum, alterum grossum & humidum scintillas ex chalybe & silice excutit effectu dispari, facile enim fomes delicatus, difficilior verò scintillam grossus concipit; lemma: *in vitio fomes*. Vis cur citius furoris ignem concipient fo- veantque heri & heræ, quam famuli & famulæ? fomes in culpa est, quem perversa herorum natura fo-

vet, ut licere sibi putent quidquid libet; irasci, fremere, sœvire generosum reputant, quasi hoc sit illustrem & nobilem esse, si naturam spirentigneam, si scintillent, fulgurent, fulminent, cùm ex his ipsis ignibus Vulcaniam prodant indolem, & Natales suos oriri demonstrent ex camino Mulceri, & Luciferi regione.



PROBLEMA VIII.

Cur ex septem Panibus superfuerint septem Sportæ, ex quinque verò Panibus Cophini duodecim?

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem Sportas Marc. 8.v.8.

S. I.
Variae cau-
ſe, cur ex
quinque
panibus
duodecim
cophini,
ex septem
vero le-
ptene
sportæ re-
mancerint.



X plurimis convivii hodierni mysteriis illud mihi diligentiori inquisitione dignius videtur, cur ex septem panibus septenæ duntaxat sportæ fragmentorum fuerint collectæ, in altero autem Convivio, quod idem Salvator multiplicatis prodigiisè panibus celebravit, ex quinque panibus duodecim super-

fuerint cophini, cùm tamen in hodierno convivio tantum quatuor millia convivarum, in altero verò quinque confessi numerentur. Quæstionem assimilem apud Divum Ambrosium lego: *Cur quinq; millibus hominum plus redundant, quatuor millibus minus?* quia quatuor millia ista triduo cum CHRISTO fuerunt, & ideo ampliorem cœlestis patuli alimoniam receperunt. At non satisfacit hæc mihi Ambrosiana responsio, nec enim quæro, cur plures

Sanct. Am-
brosius lib.
6. in c. 9.
Lucæ.

res panes quater milleni acceperint, quām quinques milleni, sed cur ex pluribus panibus pauciores cophini, quām ex paucioribus remanerint? dicunt alii cum D. Thoma: in primo miraculo tot reliquiae, quot Apostoli, hic autem septem sportae, ad indicanda septem dona Spiritus Sancti. alii docent, ideo inter plures convivas plus remansisse, ut indicaretur; quod pluribus confertur eleemosyna, eò magis dona cœlestia crescent & largitoribus suppetunt. alii placet, ideo plus superfluisse miraculosi panis, quia quod plures ad postulanda cœlestia beneficia convenient, eò amplius singuli accipiunt, vel quia in primo convivio major erat accipiendi libertas, ait námque Evangelista oblatum fuisse singulis, quantum volebant. in hodierno verò nulla libertatis similis fit mentio, quare & minus remanet, experientiâ enim constat, minus cibi portionisque absumi, cùm portio sumentium non restringitur, sed sumentium sinitur libertati. Verum ex omnibus responsionibus unicam ego & maximè genuinam ex Evangelistarum verbis arbitror defumendam. Marcus enim ait panes septem à discipulis distributos fuisse: *dabat discipulis suis, ut apponerent, & apposuerunt turbæ Marci* 8. v. 6. Joannes vero aquilino oculo observat quinque panes in quinque millia hominum non per discipulos, sed ab ipsomet IESU fuisse appositos: *accepit ergo IESUS panes, & cum gratias egisset, distribuit discubentibus. similiter & ex piscibus quantum volebant* Joann. 6. v. 11. nimirū in manibus Domini crescunt munera, minuuntur vero in manibus ministrorum, hiscè enim semper aliquid adhæret, ut minus in subditos proveniat. Habant ministri quantumcunque puras

porrectásque manus, pauciores nihilominus ex iis comedent & minus supererit, quām si de manibus dona profluant Dominorum. quam si ego hodie veritatem tot expresse ero figuris, quot sportas impletas legimus fragmentis, sportulam me ruisse putabo & sperabo.

Convivium hodiernum meditatus Basilius Seleucus orat. 33. li. quidam in se non tam ventris quām oculorum orexin excitari sensit, inde quo exclamavit: *ò quas tunc res videre fuit! panes pariebant panes, & mensæ alimento extemporario differtæ erant; panes absque rusticano sudore parti non de spicis erumpabant, sed de Domini manu efflorescebant.* Manus Domini divitis in omnes multiplicarunt annonam, eāmque in tantum fecerunt excrescere, ut ex paucioribus panibus plures vescerent, & copiosiora colligerentur fragmenta. quodsi per ministrorum manus transire debeant munera, semper fiunt minutiora. Quærebat amissas patris sui asinas Agazo Saul, cùmque easdem diuturno exantato labore invenire non posset, consilium à comite servo accepit, adiret commorantem in vicinia prophetam Samuelem, ejusdémque super asinarum amissarum statu oraculum exploraret. Renuit Saul adire Samuelem, causam prætendens, quod absque munere comparere rusticum & frustraneum censebat: *Sportulam non habemus, ut demus homini DEi, nec quidquam aliud.* at non despondet idcirco animos famulus, quin Samuem animans, quartam partem itateris (nostrates octo cruciferos) protulit, & tantillo æris animum Samuels conciliari posse asseveravit: *ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti.* Habebat Saulis pater Cis familiam amplissimam, auri argenteique copiam non modi-

§. 2.
Figura pri-
ma famulū
Saulis r.
Reg. 9. v. 8.

PROBLEMA VIII.

cam, ut vult Abulensis, dederatque dubio procul famulo liberale sustentando filio viaticum, cur ergo tam partum pecuniae superfluit ad munusculum Vati offerendum? patet causa ex verbis famuli: *ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti.* non in Crumena, sed in manu ait hic minister inventam esse pecuniam, unde mirum non est, tam parum fuisse, minuitur enim quidquid per ministrorum manus transit. *in manu mea.* quidquid servilis attingit manus, mancum reddit, minuit & arrodit, quod enim corvo rostrum est, hoc ministro est manus.

§. 3.
Figura se-
cunda.
Corvus &
Angelus
Eliam pa-
scentes.

S. Augusti-
nus lib. de
mirabil.
Sacrae
Scriptu-
rae.

§. 4.
Figura ter-
tia Manna
ministris

Panem & carnes corvus Eliæ bis quotidie ad torrentem Carith deferebat, ut videre est 3. Reg. 17. at verò Angelus sub Junipero non nisi semel panem detulit, quo ita Prophetam confortavit, ut *in fortitudine cibi illius quadraginta diebus totidemque noctibus potuerit ambulare.* Cur apud torrentem famem bis quotidie Elias patitur, sub junipero autem frugali merendulâ famem quadraginta dierum compescit? Causam in Ministrorum diversitatem refundit Divus Augustinus. *Panis iste sub Junipero erat confectus manibus Angelorum,* & ob hoc habebat virtutem resciendipere multos dies semel sumptus. non erat minister iste famelicus, adeoque ab ejus manu dona quantumvis parva magnam imbibebant satietatem. at verò minister corvus ciborum avidissimus Solo cibi attatu vim quodammodo satiandi exsugebat; nimurum quidquid per famelicorum transire debet manus ministrorum, penuriam quandam imbibit, itaque extenuatur, ut nec satiare possit, nec redundare.

Ex pane angelicis manibus confecto & Eliæ allato cogitationem transferamus ad manna cœlo

depluum, & saturandis tricies centenis hominum millibus præparatum, de quo ita Moyses Exod. 16. v. 16. *bis est sermo quem præcipit Dominus,* colligat unusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum. Angelicis panis iste manibus pinsebatur, unde & *panis Angelorum* dictus est, & è nubibus liberalissime destilabatur; cur ergo in ea non fuit estimatione, ut per ministrorum manus distribueretur, sed jubetur unusquisque suis sibi manibus ad satietatem & libitum tollere & sumere? nolebat munificus Deus in natae ministrorum cupiditati favere, per quorum manus, si manna dispensatum fuisset, ausim dicere, omnibus vix sufficeretur ad vescendum. nulla enim Angelorum solertia, nulla cœlorum magnificentia sufficeret, nulla donorum redundantia expectari posset, si manna per ministrorum manus communicaretur; ut ergo deficiat nulli, sufficiat omnibus, colligat unusquisque ex eo quantum sufficit. Oculatissimus Sixtus senensis perspexit nullam in Rege sufficere providentiam, si in ministro regnet infidelitas:

cœcutit perspicacitas principis, quando in dispensatore regnat avaritia. In eandem sententiam Cassiodorus scripsit: mutant quamlibet Regum liberalitatem ministrorum man', & sicut fontis puritas perliosa corruptitur, sic affluentia boni Regis avaris distributionibus immutatur.

Quamvis enim Rex aliquis Angelo similius quam homini videotur, quodsi tamen ministros fortia tur infideles commodique proprii studiosos, exigua in subjectos felicitas redundabit. Expressam hanc insigni cum acumine veritatem in paralytico ad piscinam probaticam deprehendo, hic enim ipsos triginta octo annos prope fontem sanitatis ægrire coactus est, quamvis Ange-

ad distri-
butionem
nequaquam
commissu-

Sixtus tom.
6. Biblio-
Cassiodo-
rus lib. 12.
Var. lect.
11.

§. 5.
Figura
quarta &
quinta.
Langvidus
ad proba-
ticam &
populus
in deserto.

Angelus cœlo frequenter descendet, & aquam in langvorum medicamentum moveret, quia hominem non habebat, à quo in piscinam demitteretur: *Domine hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam* Joann. 5. v. 7. ò quot calamitosi subditi eandem hodiē repetunt næniam: *Domine hominem non habeo!* etiam si gratiarum mare moveatur, et si munera in subditos effundi præcipientur, et si Tu sis sicut Angelus DEI, at hominem non habeo, fidelem ministrum non video, qui tuarum me participem reddat gratiarum. Angelum DEus constituerat Israëlitici populi ductorem, cuius consilio industriaque in terram promissionis induceretur: *ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te & custodiat in via, & introducat in locum* Ex. 23. v. 20. & 23. nihilo minus quadraginta annorum spatio oberrare populus in deserto debuit, cùmque Palaestinæ proximus esset, redire in solitudinem per viam maris rubri jussus est, eò quod decem exploratorum verbis plus æquò credidisset, nimirūm eti dux populi Angelus sit, nisi tamen ministri pariter probi sint fidelésque, omnis ad felicitatem aditus intercluditur, abeuntque retrorsum, & in pejus ruunt omnia.

J. 6.
Figura
Sexta Tri-
butum Cæ-
sarī & no-
ministris
reddendū.

Cùm mitissimus cœli terræque moderator Homo DEus legem tributariam autoritate suâ confirmaret, hiscè usus est verbis: *reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari* Matth. 22. v. 21. cur non dicit: reddite exactoribus Cæsareis tributa, sed Cæsaris nomen interponit, & exactores per quorum manus tributa Cæsari redduntur, omittit? quia optimè nōrat longè tolerabilius jucundiisque fore subditis, si tributa solverentur non ministris, inter quorum manus certius est naufra-

gium, quām inter duos scopulos & vortices aquarum, plūsque periculi à voraci & insatiabili exæctorum charybdi imminet, quām à quacunque fæiente æquoris tempestate. Regis Theodorici hæc phrasis est & sententia apud Cassiodorum lib. 4. ep. 19. *portus nostros navis veniens non expavesceret, ut certum possit esse naufragium, si manus exigentium non incurrerent, à quibus plura affliguntur damna, quām soleant nudare naufragia, evadi tempestas potest, à rapaci verò exæctorum avaritia nullus est qui effugiat,* ait Doctifimus Silveira. paucos reperire in aulis est Josephos, de quibus Sacer aliquis historicus possit attestari: *omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium Regis Gen. 47.* tam rarus minister est, qui omnem pecuniam inferat in ærarium Regis, ut velut prodigium quodpiam in Sacras refferti debeat tabulas. *Omnem pecuniam intulit in ærarium Regis.*

Sylv. tom.
4. l. 6. c.
15. q. 8.
Num. 50.

Miraculum fuit, quod cùm Dominus ipse tributum solvere ad occasionem scandali prævertendam decrevisset, Petrum ad mare misserit, ut ex capti piscis ore staterem exigeret: *vade ad mare & mitte hamum, & eum pescem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens da eis pro te & me.* Matth. 17. v. 27. unde stater in ore piscis? an in maris fundo repertus, an in ore piscis creatus est? creatum censem glossa interlin. *mira potentia, quā hoc dicendo creavit staterem.* potuit quis neget à pisce inveniri, verūm eti inventus fuisset, miraculo adhuc opus erat, ut voracissimum animal illicet staterem non deglutiret, inque ventrem trajiceret, solet enim piscis quidquid ore apprehendit, stomacho transcribe re. Mirum proinde staterem à piske exhiberi ad solvendum tribu tum,

Padill. in
Habac. 2.
annot. 8.
discurs. I.

tum, quia res nova & admiranda est, inquit Ildephonfus, Padille, ministerum inveniri, qui pecuniam, quam principi extrahit ex subditis, in ore habeat, Syncerè fatendo, quantum à subditis contributum sit, & non potius trajiciat in ventrem, inque proprium convertat emolumentum.

Did. Nyff.
Dom. 4.
Quadrag.
§. 6.

Observavit ex Sancto Gregorio Nyffeno homil. 14. in Cant. Didacus Nyffenus sponsam in canticis ex hoc potissimum capite dilaudari, quod & caput & manus haberet aureas: *caput ejus aurum optimum* Cant. 5. v. 11. *manus illius tornatiles aureæ* Cant. 5. v. 14. quia videlicet ingens hæc raritas est, totoque altior mundo ea Curia cui & caput (sive princeps) est aureum, & manus, (seu ministri) aureæ, nec manus pice & visco ad confiscanda bona subditorum sunt illitæ, sed ad distribuenda principis munera tornatiles, promtæ scilicet paratæque.

Sed jam manum ego de tabula, imò de sporta tollo, proque veritate quam dixi, sportam aliam non expeto, quam illam Pauli ex manibus

Aretæ Regis fugitivi, de qua ipse: *in sporta demissus sum per murum. Et sic effugi manus ejus.* in sporta præstat fugere, quam in sportularos ministros Regis incidere, à quibus non septem sportas gratiarum colligas, sed unicum semper accipias corbem, in quo (ut dicere solemus) grande nihil.

Problematis hodierni coronamentum sint multæ Manus, per quas farina aut Saccharum contusum datatim traducendum est, cum epigraphæ: *hæret ubique aliquid.* Ardens item Cereus qui splendorum suum in sphærā diffundens, minorem semper minorēmque lucem projicit cum lemmate: *decrescit eundo.* Habet se pecunia, non ut fluvius qui eundo crescit, sed ut lux quæ decrescit eundo, quod enim per plures iverit manus, eò minor evadet; probatum est.

... 3033...) o(... 3033...
... 33) oo (33...
33



PRO-